

mutari, aut variari secundum quod utilitas, vel necessitas Ecclesiæ postulaverit. Ratio hujus sumitur ex supra dictis, quia potestas electiva papæ, quæ est in Ecclesia subest ipsi papæ tamquam superiori, quia ad ipsum pertinet ordinare, et providere universali Ecclesiæ, et consequenter omnia quæ pro utilitate, aut necessitate Ecclesiæ constituta sunt, ipse potest cognoscere, et ordinare sicut Ecclesiæ viderit expedire. Unde cum modus, et forma electionis maxime pendeat ex personis, quæ ad talem electionem concurrere debent, poterit pontifex ad quem pertinet hunc modum, et formam determinare, potestatem istum eligendi applicare istis, aut illis personis secundum quod Ecclesiæ expedierit. Nec ex Scriptura, aut traditione constat de jure divino determinatis aliquibus personis, aut dignitatibus hanc electionem esse commissam: et ad probandum quod de jure divino non sit applicata determinatis personis, sufficit ostendere quod per Concilium generale possent alii electores superaddi, et eis committi potestas eligendi papam, etiamsi ante non habuerint illam, nec sint cardinales, sicut factum fuit in Concilio Constantiensi sessione XL, ubi propter sedandum totaliter schisma, quo Ecclesia laborabat, decrevit Concilium de consensu cardinalium, ut illa vice dumtaxat ad eligendum Romanum, et summum pontificem sex prælati, vel aliæ honorabiles personæ de qualibet natione ipsis cardinalibus adjungerentur: « Quibus omnibus eadem Synodus eligendi Romanum pontificem secundum formam hic expressam, quatenus opus est, tribuit potestatem. » Ita Concilium, ex quibus verbis apertissime colligitur potestatem eligendi pontificem posse secundum jus positivum aliquibus personis committi, et applicari, et

consequenter idem poterit facere pontifex, qui habet potestatem superiorem Concilio generali. Quibus addendum est pontifices id sæpe fecisse, ut ex pluribus supra probavimus explicando sententiam Cajetani, et jam amplius constabit.

XXII. Si autem quæras, quibus personis de jure ecclesiastico commissa sit ista potestas, respondetur aliquos distinguere varia tempora, quibus in Ecclesia variata fuit ista commissio, ita ut aliquando pertinerit ad clerum Romanum, aliquando ad clerum et populum, aliquando etiam principibus sæcularibus concessa sit, aliquando etiam canonicis, et religiosis, et denique aliquando solis cardinalibus, prout ex Rebuff. super rubricam de electione refert cardinalis Thuscus verbo Electio papæ, conclusione LVII, tomo III. Existimo tamen ab ipso Ecclesiæ exordio potestatem hanc electivam extitisse primario, et directe in clero Ecclesiæ Romanæ, præsertim in principalioribus clericis, qui cardinales dicuntur, licet secundum varia tempora etiam alii introducti sint, non tamquam ordinarii, aut per se electores, sed ad aliqua tractanda, aut ordinanda, quæ concernunt electionem. Et quidem ipse summus pontifex semper est exclusus ab hac potestate electiva, nec permissum est ut sibi deligeret successorem ut supra ostendimus, et probat factum Bonifacii II, qui cum sibi diligeret successorem congregata Synodo, ipse pontifex postea hoc retraxit alia Synodo congregata, ut ex pontificali refert Antonius Augustinus in epitome juris, libro primo de pontifice, titulo V, capite XV. Similiter Concilium generale, et multo a fortiori provinciale non habet jus eligendi pontificem, quamvis habeat jus deponendi ut postea dicetur. Ita cardinalis Thuscus supra citatus ex abbate in sua quæstione prima. Nec

habet parum probabilitatis argumentum ex facto Concilii Constantiensis relato, in quo ipsum Concilium concessit aliis potestatem eligendi papam, non tamen ipsum Concilium elegit. Et ratio est, quia invenitur hæc potestas commissa cardinalibus Ecclesiæ Romanæ simpliciter, et sine aliqua dependentia a Concilio, nusquam vero ipsi a Concilio legitur tradita. Quod vero cardinalibus commissa sit, seu clero Romano, et in ipsis etiam fuerit ab exordio Ecclesiæ, constat in primis ex ipsa traditione Ecclesiæ, quæ præsertim jure canonico explicata est a Nicolao II capite In nomine, XXIII distinctione, ab Alexandro III capite Licet de electione, a Gregorio X capite Ubi periculum eodem titulo in sexto. Constat præterea fuisse id factum a Nicolao papa, et apud S. Cyprianum epistola xxx, clerus Romanus ipsi scribens sede vacante pro corpore totius Ecclesiæ, ejus per varias provincias membra suggesta sunt excubare se dicunt, quod non faceret nisi ad ipsos pertineret electio capituli quod Ecclesiam gubernaret: et denique ex ipso exercitio, et usu Ecclesiæ, quia quamvis præter clerum Romanum aliquando admissi sint alii ad electionem pontificis, puta aliqui principes sæculares, vel religiosi, vel alii alii, tamen nunquam clerus Romanus exclusus est ab electione, ita ut aliis sine ipsis data sit potestas eligendi pontificem, cardinalibus, seu clero Romano excluso; ergo semper in Ecclesia receptum est potestatem electivam pontificis esse in clero Romano quasi per se, et directe, si quidem isti nunquam sunt exclusi, sed semper admissi ut sint electores, in aliis vero licet aliquando inventa fuerit hæc potestas, tamen etiam mutata est, et variata, nec directe admittebantur ad electionem, sed ad aliquem assensum,

vel approbationem, aut defensionem electi. Igitur electores per se, et directe semper fuerunt clerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ, præsertim cardinales.

XXIII. Sed restat quæstio de aliquibus præcipue personarum ordinibus, quomodo sint aliquando admissi ad electionem. Primo de populo, nam jura communiter dicunt ad populum, et clerum pertinere electionem in multis textibus, quæ citantur LXIII distinctione, capite Nosse, capite Episcopos, et capite Sacrorum: secundo quomodo pertinerit ad imperatores, aut principes sæculares: tertio, quomodo pertinere possit ad Concilium generale: et denique, quando ad solos cardinales spectaverit excluso reliquo clero, et populo. Respondetur populum non habuisse jus eligendi papam, cum electio ista sit potestas spiritualis, quæ laicis non convenit, sed eam clericis, et spiritualibus populis commissam esse docuit Anacletus papa capite Finali, distinctione LXXIX. Solum ergo conveniebat populo consensu suo electionem a clero factam admittere, et admittendo approbare. Unde dicitur in capite Nosse citato: « Sacerdotum est electio, et fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus. » Et videri etiam potest capite Vota civium eadem distinctione ex Leone I, epistola LXXXVII. Postea autem etiam consensus iste plebis exclusus est, et quo tempore præcise id factum fuerit, nescitur; quamvis aliqui censeant cœpisse excludi a tempore Nicolai II.

XXIV. Quod attinet ad imperatores, et principes sæculares ex variis causis ipsi se introduxerunt in ordinatione apostolicæ sedis aliquando quidem per potestatem usurpatam, aliquando vero per tolerantiam Ecclesiæ ex urgente aliqua

necessitate, nunquam tamen actu, et exercitio eligendi usi sunt, sed tantum approbandi electionem, aut permittendi ut pontifex electus consecraretur, aut componendi dissensiones, si quæ in electionibus pontificum contigissent. Unde si quando ab Ecclesia jure sunt permitti aliquid agere circa ordinationem pontificum non ut eligentes, sed ut consentientes, aut defendentes electum a schismaticis et inimicis se habuerunt, ut dicit Gratianus in capite Cum longe, et capite. Vota civium, LXIII distinctione. Electionis vero sæculares principes jure nunquam usi sunt propter rationem factam, quia hoc non pertinet ad potestatem laicam, sed est actus potestatis spiritualis, quæ in sæcularibus principibus non est. Primo igitur imperatores cœperunt se introducere in ordinatione sedis apostolicæ titulo componendi schismata, quæ orta sunt in electione S. Damasia Valentiniano, in electione Bonifacii ab Honorio, in electione Symmachi a Theodorico: et in hoc imperatores non videntur excessisse potestatem propriam, quia solum defendebant Ecclesiam, et vero pontifices ab intrusis. Deinde Justinianus imperator gravavit amplius Ecclesiam Romanam, non quidem electioni se ingerendo, sed prohibendo ne electus consecraretur ante assensum imperatoris, ea videlicet de causa ne in Italia, quæ dudum a Justiniano conquisita fuerat a Gothis aliquid contra imperatorem moliretur, si eligeretur pontifex imperatori minus gratus. Quod quidem contra jus usurpavit Justinianus, ejusque successores, ut graviter conqueritur S. Gregorius super Psalmum v penitentialem explicans illum versiculum: *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*. Et videri ea de re potest Aymonius lib. III de gestis Francorum, cap. LXXIV, agens

de electione Gregorii. Hæc autem consuetudo perduravit usque ad tempora Benedicti II, cui a Constantino V donatum est, ut clerus, et populus Romanus libere eligerent papam nullo imperatoris assensu expectato, licet alii ut Beda, hoc referunt ad papam Constantinum, et imperatorem Justinianum II. Et in capite Agatho, LXIII distinctione dicitur ab Agathone papa obtentum ab imperatore, ut relevaretur quantitas pecuniæ, quæ solebat dari imperatoribus pro obtinenda licentia ordinandi pontificem, licet expectandum esset ejus decretum, ut secundum ejus jussionem fieret ordinatio. Tertio, id obtinuerunt aliqui imperatores ex concessione Ecclesiæ. Adrianus Papa I concessit Carolo magno jus eligendi pontificem, et postmodum Leo VIII Othoni I, ut refertur in capite Adrianus, et capite in Synodo, LXIII distinctione. Quibus tamen privilegiis Ludovicum Caroli successorem, et ipsum Othonem renuntiasset fatetur ipse Gratianus in capite Ego Ludovicus, capite Tibi domino, et capite Sacrorum, eadem distinctione. Et similiter Adrianus III, et postea Gregorius VII. Hæc imperatorum privilegia abrogarunt, sed neque certum est Adrianum id concessisse Carolo, et multi existimant esse falsum, quia id Gratianus accepit solum ex Sigeberto in chronico, cum tamen auctores qui vixerunt tempore Caroli nihil tale meminerint, de quo videatur Azorius tomo II, lib. IV, cap. V, et Bellarminus libro de scriptoribus ecclesiasticis in Gratiano. Quod si forte aliquid pontifices imperatoribus in hac parte contulerunt non fuit jus eligendi, loquendo rigore de actu electionis, quasi ipsi suffragium ferrent cum cetero, sed jus aliquod approbandi, aut assentiendi electioni factæ, non tamen taliter qualiter quod sine isto assensu, aut approbatione electio

non valeret, quia ut dicitur capite Cum una de electione, non prohibetur mixtis electionibus quin regis requiratur assensus, non tamen propterea electionem impediri. Sed tamen etiam approbatio ista, aut assensus imperatorum pro electione pontificum abrogatus est.

XXV. Quod attinet ad Concilium generale nunquam legimus exercuisse in Ecclesia usum potestatis hujus electivæ, nam in Concilio Constantiensi, cum tractaretur de depositione trium pontificum, et de tollendo schismate, eligendoque novo papa, tamen Concilium non processit ad electionem, licet de hoc ibi valde disputatum fuerit, ut ait Azorius ubi supra capite II, sed commisit eam electionem tum cardinalibus, tum aliis adjunctis electoribus, idque de consensu cardinalium. Similiter in Concilio Lateranensi ultimo cum Julius II moreretur durante Concilio, tamen Concilium non se immiscuit electioni pontificis, nec id ab alio Concilio factum legimus. An vero possit Concilium generale aliquando ad se avocare electionem papæ, multi disputant. Et in hac parte unum est certum, scilicet quod vacante sede per objectum, aut renuntiationem pontificis id ad cardinales pertinere, vel simul cum clero Romano, ut erat ab antiquo, et ab exordio ipsius Ecclesiæ, vel ad ipsos tantum, sicut ex jure canonico a tempore Nicolai II, vel saltem Alexandri III, convenire certum est, ut constat ex capite In nomine sæpe citato, distinctione XXIII, et capite Licet de electione, et capite Ubi periculum eodem titulo in sexto. Idque firmatum est per Concilia ipsa generalia, Lateranense sub Alexandro III, et Lugdunense sub Gregorio X. Videatur Cajetanus in commentariis super Acta Apostolorum, capite VIII, ubi inquit, quod aliud est quod cardinales eligant, aliud

quod soli eligant; et quod soli eligant competit eis ex privilegio, quod vero eligant suapte natura, quia sunt primi clerici Romani, et ad clerum Romanum suapte natura convenit electio Romani pontificis.

XXVI. Difficultas ergo solum est in duobus casibus, scilicet quando Concilium deponit papam, an ad ipsum Concilium pertineat eligere papam, et quando nullus cardinalium esset superstes, qui posset eligere, aut magnum aliquod schisma timeretur, si eligerent. Et in primo casu probabilis est saltem a tempore quo illud jus eligendi solis cardinalibus commissum est auctoritate Romani pontificis, et Conciliorum generalium, non posse Concilium per se eligere papam, quia absolute, et sine aliqua distinctione tale jus tributum est cardinalibus; ergo quocumque modo sedes vacaverit sive per obitum, sive per renuntiationem, sive per depositionem, ipsi habent jus eligendi, quia jura in hoc non distinguunt, sed in casu vacationis sedis loquuntur. Quare cum nullus spoliandus sit jure proprio sine culpa, præsertim quando tale jus collatum est a suprema potestate, quæ ad ipsum Concilium generale superior est, non debent excludi cardinales a Concilio generali, quando ex parte ipsorum non est aliquis defectus, aut timetur aliquod damnum, si eligant, et ita sentiunt Cardinalis Thuscus cum abbate, quem citat verbo Electio papæ, conclusionem LVII; cardinalis Albanus, tractatu de cardinalibus, quæstion. XXXV; Azorius ubi supra capite III, quæstione XIII.

XXVII. In secundo vero casu varie divisi sunt jurisperiti. Quidam enim existimant tunc electionem pertinere ad clerum Romanum, et proprie ad canonicos Lateranenses, quæ est proprie Ecclesia episcopi Romani, et juxta declarationem

quamdam Pii V præcedit omnes Ecclesias orbis: sicut sentit Turrecremata, Ludovicus Romanus, et cardinalis Albanus quæstione xxv, et addi potest Cajetanus ubi supra. Alii censent tunc pertinere ad Concilium generale, sicut idem Albanus admittit si non esset difficile illud congregare, quod sequuntur plures jurisperiti, et utrumque est probabile, præsertim quia cum istud jus sit primum in Ecclesia, et ex applicatione pontificis in cardinalibus illis sublatis devolvitur ad Ecclesiam, quæ repræsentative, et auctoritative est in Concilio generali. Sed devolvitur ad ipsam auctoritative, et principaliter, sicut potestas ista est in papa, non executive. Denique in tertio casu, si vacante sede Concilium generale censet expedire ad utilitatem, aut necessitatem Ecclesie, quod cardinales non eligant, aut non soli eligant, id mutare potest, sicut sentit Albanus quæstione xxxv citata et Azorius. Et de facto in Concilio Constantiensi statutum fuit, ut pro illa vice non soli eligerent, et eadem ratione posset mandari, quod alii eligerent, ut si cardinales essent hæretici, aut magnum schisma rationabiliter timeretur ex eo quod ipsi eligerent.

XXVIII. Et ratio est, quia cum hæc potestas data sit Ecclesie et ex commissione ipsius, et ejus capitis cardinalibus sit commissa, non existente papa pertinet ad Ecclesiam providere sibi secundum necessitates occurrentes de electoribus legitimis, et qui legitimum caput eligant, unde si id viderit expedire, poterit a cardinalibus auferre istam potestatem, et aliis committere. Unde colligo contra Suarez in tomo de fide, disputatione x, sectione iv, numero xvii, in casu quo pontifex nihil stauisset de modo eligendi successorem non devolvi ad episcopos, seu Concilium generale jus eligendi,

seu jus providendi de electoribus, et de modo eligendi sicut papa posset facere, quia episcopi, seu Concilium generale quod Ecclesiam repræsentat, habet idem jus quod Ecclesia; hæc autem licet habeat potestatem eligendi, non tamen habet illam applicatam, sed applicabilem per jus humanum personis determinatis, quæ eligant, nec esset expediens, quod totum Concilium simul eligeret propter multitudinem eorum, qui ad Concilium concurrere solent. Nec est verum quod Concilium Constantiense elegit pontificem, ut refert Suarez, sed oppositum constat ex sectione xl, quod eam potestatem etiam de assensu cardinalium determinatis personis commisit: nec capite Si duo, lxxix distinctione quod Suarez citat pro se, ei favet, dicitur enim ibi, quod si duo fuerint electi, neuter sit papa, sed quem ex numero clericorum nova ordinatione divinum iudicium et universitatis consensus elegerit, ubi ly universitatis consensus non est idem quod consensus Concilii generalis, sed idem quod consensus universalis, seu unanimis, et non divisus. Et ex hoc etiam manet soluta tertia difficultas a principio posita.

ARTICULUS II.

Utrum facta legitima electione pontificis sit de fide per se primo, vel per se secundo hanc personam in particulari, verbi gratia Innocentium X, esse papam?

I. Quæstio hæc valde celebris facta est his temporibus, variisque argumentis agitata, nam de ea apud veteres pauca reperiuntur in terminis, quibus modo disputatur: antequam vero ea quæ difficultatem in hac parte faciunt proponamus, explicandi sunt duo termini, qui in

titulo proponuntur, aut supponuntur. Primus est ly facta legitima electione: secundus ly de fide per se primo, aut per se secundo. Et quoad primum supponimus posse dari electionem pontificis non legitimam, sed dubiam, aut vitiosam, non solum si fiat a non legitimis electoribus, id est, a personis, quibus jus eligendi datum non est ab Ecclesia, vel pontifice; nam tunc non est dubium electionem non esse, sed violentam extorsionem; sed etiamsi a legitimis electoribus fiat, id est, a cardinalibus, quibus hæc potestas nunc in Ecclesia commissa est. In quo tamen nonnulla difficultas esse potest, an electio celebrata a cardinalibus possit vitari, nam in primis ex parte eligentium vitari non potest, quia cardinales nulla censura impediri possunt a jure eligendi. Hoc enim est singulare privilegium electionis summi pontificis, ut expresse habetur in clementina Ne Romani §. Cæterum de electione, ubi decernitur nullum cardinalium prætextu excommunicationis, vel censuræ posse ab electione illa repelli, quod factum est ut evitarentur schismata, et incertitudo electionis, a qua pendet totius Ecclesie directio, et gubernatio, unde hoc ipso quod cardinales intersunt electioni invalidari non potest ex parte eligentium: deinde neque ex parte ipsius electionis vitari potest, aut dubia reddi propter assistentiam Spiritus sancti in illa electione facienda; hanc enim dari multi probabiliter existimant, et præsertim comprobatur ex testimonio quodam Sixti V, in constitutione L, ubi agit de cardinalibus, et inter alia inquit: « Quod in illa sacra electione censendi sunt veri interpretes, atque internuntii voluntatis divinæ, cujus Spiritu sicut universum Ecclesie corpus sanctificatur, et regitur, ita maxime hoc totum ejusmodi electio-

nis opus ejusdem afflatu, et instinctu absolvi certissimum est, atque omnibus exploratum. » Ubi pontifex aliquam peculiarem assistentiam Spiritus sancti tribuit electioni illi, quæ non tribuitur aliis operibus, seu actionibus communibus, comparatur enim hæc assistentia illi, qua corpus Ecclesie regitur, et sanctificatur a Spiritu, sed ex hac assistentia constat Ecclesiam errare non posse; ergo ex eadem tenere debemus electionem a cardinalibus factam errare non posse, aut invalida reddi, alias in illa non habet specialem assistentiam si aliquando errat, et deficit, aliquando non, id enim in quacumque alia actione invenitur.

II. Nihilominus dicendum est posse multis de causis electionem reddi vitiosam, aut dubiam quantumque a legitimis electoribus fiat, idque tum ex parte ipsius electionis, tum ex parte personæ electæ juxta defectus, quos ipsa jura assignant, ex parte quidem electionis, ut fiat per metum cadentem in constantem virum electio illa est nulla, ut determinatur sessione xxxix Concilii Constantiensis: et similiter si non servetur forma quæ ponitur in capite Ubi periculum de electione in sexto, ut scilicet a duabus partibus cardinalium sit electus: similiter si per simoniam eligatur, electio est nulla, ut habetur in constitutione Julii II, quæ incipit: Cum tam divino, anno 1505. Potest etiam contra personam electam opponi exceptio hæresis, ut sit hæreticus manifestus, qui eligitur, non est habendus pro pontifice, ut constat ex eadem constitutione Julii II, et similiter aliæ exceptiones juris naturalis admitti possunt, ut si non esset vir, si esset judicio privatus, etc. Alia vero quæ olim opponi poterant contra electionem pontificis, ut quod esset facta per violentiam, fraudem aut ambitionem